Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

domina summe beatitudinis apparuit ei comitata obsequio angelorum. Cum rea illa respicere in ipsam non auderet, tum pro conscientia criminis, tum pro gloria ipsius magnitudinis: respice gloriosa domina inquit, que vides apud filium meum et veniam peccati et a confusione ut plenissime libera sis. Tu misericordiam optinui. Tum duobus angelis precipiens, ut eam exonerarent eam plus onere. Quod et in momento executi sunt administratorii spiritus. ab ea in munditium aliud missi sunt. Deferte autem puerum a dillitalem heremitam in Italia heremo abhinc in septimo miliario commorantem: ipsi ex nomine meo puerum commendetis alendum per septennium. Deinde ad matrem pueri mater salutis venit gratia plena huiusmodi verba dedit. Ecce optulante clementia mee commiserationis evasisti penam obprobrii. optinuisti veniam delicti admissa et es in gratiam filii mei. Responde his omnibus pro debito et in reliquum abstine a peccato. Oportebit te calumpniam pati gravem te obiurgante episcopo. tamen si eam modeste feras, velociter evades molestiam. Dixit hec et disparuit. Ipsa vero experrecta quod viderat evidenter in se completum invenit: et affectuosissime se coram matre misericordie in gratiarum actionem prostravit. Itaque litteris puellarum dei munitatus adest episcopus et discit assertione earum quid sit fiat litteris designatum. Consederat enim cum ipsis in capitulo et matre monasterii interim non vocata. que liberius loquerentur familiarem eis prestiterat audientiam: tandem mittitur pro ea. Diu quesita in suo familiari oratorio reperitur. Audito nuncio surgit: festina in conventum sanctimonialium ingreditur. pro debito loci sui assidet pontifici. Tum multis ab ipso verborum pergravata iniuriis: non modo a sede. sed et a capitulo indecenter repellitur.

TRANSLATO ad celestem curiam viro preclarissimo Castriciano atque in senatorum illustrissimorum concilio quasi bellicosissimo censore. ac veterano triumphatore nitenti subsellio decibiliter sublimato: plebs viduata fidelium non modica urgebatur tristicia. Anxia multum et gemine hinc inde mesticie ecclesia angore perculsa: primum de pastoris obitu et destitutione sui: demum de eligendo successore quia difficile posset tanti viri compar illo tempore inveniri: quandoquidem pestifera elii adriani vexatione per totum romanum orbem. maximeque ea parte ytalie que cis alpina gallia nomen habet dei ecclesia durius quatiebatur. Qui primo imperii eventu mitem sese erga christianos viros mentitus: postmodum ad genuinam velut canis rabidus conversus insaniam invidorum quorundam insolentiam vulgique vecordis stultissimis acclamationibus adeo irritatus est. ut multorum iussu ei martyria et cruciatus sanctorum quaque versum intonarent. Hac ergo causa collecti parte christum ihesum implorabant gemitibus cordis et lacrimarum fontibus hinc indeque manantibus. Sed deus omnipotens qui suorum oportuna fidelium maxima semper cum pietate et paterna sollicitudine providet: non passus est suam plebem que sedule obsequitur cum necessariis diutius viduari presidiis: quin potius solitum continuo postulatus. quod ante secula prescierat et predestinarat prebuit adminiculum. Erat namque id temporis in clero fauste ecclesie delegato vir sanctissimus genus prosapia generis. sed morum illustrium scientieque probitate romanus cui nomen kalimerus. Qui in multa abstinentia et iugi vigilantia pro optimo mentem saginatus. porro quoque indefessa divinorum dogmatum meditatione habundantissime farcinatus quale dei sapientia beatum appellat: beatus inquiens qui vigilat ad me et observat cotidie ad fores ostii mei ad postes ostii mei: facile poterat fratribus et discipulis bonorum operum et evidens documentum tribuere et ingens exemplum prestare. Sed quia solet non numquam in talibus infaustis latere iactantie fastus. quedam fieri sanctitatis velamine palliatus et male casurum flebilis extollentie subripere supercilium: is quem loquor vir mirifice et omni laude celebrandus: tante humilitatis tanteque fuit mansuetudinis. ut non solum cunctis in clero subiectis fratribus. verum etiam minimis quibusque officiis esset intentus. De hoc varie a diversis narrantur. sed certior est quorundam superbo ut suspicor relatio. quam in presenti materia licet succincte utillimum puto adicere. Decennio fere ante venerande memorie castriciani presulis excessum. dum adrianus infelix deteriorari ut prefatus sum a meliori proposito statuisset. atque christi cultores persequi non modo per alios. sed se ipso fautore insani capitis luctuosis decretis vulgatis cepisset. qua tempestate romane quoque ecclesie summum pontificem thelesphorum magnis virtutum preconiis insignitum. cuius sagacitate et industria supradictus vir dei kalimerus salubrimis actibus et sacris monitis a puero informatus. intra sepulchra martyrum latitantem exercita lues inveniens: martyrum meritis et numero copulare estimans. quasi ipsum caput detere ac perimere valuisset. hoc est romanum pontificem: subiectiora facilius membra idem diffusas quaque per orbem ecclesias. et earum presules deglutiret atque confoderet. cum quidem adhuc puer in iunioribus inbellis degeret annis. veritus ne si ad penam similiter mox ut magister raperetur perdurare non posset: secessit ab urbe latenter. Diuque fugitivus viator aliquamdiu oberrando diebus nocturnisque conficeret iter: dei tandem revocatus auxilio alba pervenit ad urbem: que alio nomine mediolanum dicta est. Ibidem sepe memoratum presulem christianorum utpote patrinum famosissimum. requirens invenit castricianum. a quo benignissime susceptus: ac non multo post in omni patientia et fidei documentis probatus invenitur. reliquis discipulorum ipsius cetui